

## King Robert of Naples

Sermo de sancta Elisabeth filia regis Ungarie compositus ab illustrissimo rege Ierusalem et Sicilie, die sue festivitatis inceptus, in quo servatur modus alter quam in aliis, magis divisivus, distinctivus, expositivus.<sup>1</sup>

*Sedeo ut regina et vidua non sum*, Apo. 18. (7).<sup>2</sup> In hiis verbis ad commendacionem beate Elisabeth tria per ordinem denotantur, scilicet

<1> prelacio ducalis fastigii et ortus {78rb} regalis principii: *regina*;

<2> domacio sensualis adversarii et excessus mentalis ocii: *sedeo*;

<3> declinacio carnalis consorcii et nexus spiritualis coniugii: *vidua non sum*.

Cuius spiritualis combinacionis sufficiencia ita patet: tunc ducatus vel principatus dignitas disponitur et exigitur, cum regis generositas contrahitur vel eiam propagatur; tunc excessus tranquillitas incipitur et nititur, cum concupiscibilis et irascibilis adversitas subicitur vel domatur; tunc spiritus affinitas contrahitur, cum carnis societas deseritur vel eiam separatur. Huius eiam generalis connexionis congruencia ita claret, nam: generosi plenius naturalibus disponuntur, quod ostenditur in natura regie propagacionis – *ut regina*; generosi pulcrius moralibus componuntur, quod innuitur in censura quietate passionis – *sedeo*; generosi prestancius virtualibus apponuntur, quod describitur in pressura viduate probacionis – *vidua non sum*. O quam preclara regina curis presidens cetibus vel fratribus! O quam precelsa ducissa tutis residens sedibus! O quam precara vidua puris insidens edibus! Propter hoc enim tria aperte Elizabeth nuncupata {78va}: primo quasi elegans, quod ostendit condicio dignior – *ut regina*; secundo quasi elevans, quod innuit contemplacio quietior – *sedeo*; tercio quasi eliminans, quod facit separacio castior – *vidua*. Vel Elizabeth, quia: elicitur trono, quod denotat principium generosum – *ut regina*; eligitur Deo, quod indicat ocium graciosum – *sedeo*; eliditur mundo, quod demonstrat divorcium calamitosum – *vidua*. Bene igitur de beatissima Elizabeth premissa prelibata preponuntur preloquia, cum prefertur *sedeo ut regina et vidua non sum*.

---

<sup>1</sup> Base ms.: R = Roma, Biblioteca Angelica, ms. lat. 151, ff. 78ra-91va. Collated ms.: V = Venezia, BN Marciana, Cl. III Cod. 76, pp. 285-296.

<sup>2</sup> Vulg.: “sedeo regina, et vidua non sum”.

<1> Primo igitur preponitur prelacio ducalis fastigii et ortus regalis principii, cum premittitur: *regina*. Pro quo potest exponi illud, Ps. 44. (14-15), *omnis gloria eius filie regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*, ubi beate Elizabeth innuitur

<1.1> progenitorum sublimitas producat eam ingenuam et nobilem: *filie regis*;

<1.2> virtutum claritas faciens eam perspicuam et illustrem: *gloria eius ab intus*;

<1.3> carismatum et donorum preciositas efficiens eam precipuam et insignem: *in fimbriis aureis*;

<1.4> morum venustas et honestas reddens eam congruam Christi coniugem: *circumamicta*;

<1.5> sanctorum exemplorum et operum speciositas exhibens eam viduam spectabilem: *varietatibus*.

Cuius divisionis auctoritatis congruentia ita patet, nam progenitorum sublimitas et quedam naturalis nobilitas est dispositio ad virtutum claritatem; virtutum claritas est quedam preparatio ad carismatum preciositatem; carismatum preciositas est quedam vigoratio ad morum honestatem; morum vero honestas est quedam continuatio ad sanctorum exemplorum et operum speciositatem.

<1.1> Quantum ad primum, quod notatur in dicta auctoritate, scilicet progenitorum sublimitas producat beatam Elizabeth ingenuam vel nobilem, cum premittitur: *filie regis*, attendendum, quod filie nobilitas ex sex percipitur. Illa quidem filia nobilis comprobatur, ut dictum est,

<1.1.1> quam principii natura genuit excellenter; unde Ps. 44. (9-10) *delectaverunt {79ra} te filia* <sup>Hiba! A könyvjelző nem létezik.</sup> *regum in honore tuo*; ubi glosa: *delectaverunt te*, id est

delectabilem habuerunt, [*filia*] *regum*, ad litteram *in honore tuo*, non curantes honorem patrum, scilicet carnalium, set Christi; ipse enim secundum apostolum Iacobum, Iacobi 1. (18) *voluntarie enim genuit nos verbo veritatis*, et eciam regeneravit in baptismo, 1. Thimot. 3.<sup>3</sup>; et hec nobilitas, ut in causa, est nobilitas in parente, unde Num. 24. (15) *mulier Madianitis* etc. *filia Sur principis nobilissimi Madian*.

<1.1.2> Quam exercitii [exercitura] et cultura exhibuit decenter; Can. 7. (1) *quam pulchri sunt gressus tui*, glosa: hii gressus dicuntur opera et profectus, *in calciamentis*, id est in exemplis, *filia principis*; et hec nobilitas in vita est nobilitas in conversacione; 1. Macha 1. (7) *et vocavit*, scilicet rex Alexander, *pueros suos nobiles qui secum nutriti erant*; hii pueri sunt virtutes, qui nobiscum in vita et conversacione sancta nutriuntur et foventur.

---

<sup>3</sup> It is not clear what "1. Thimot. 3" would refer to.

<1.1.3> Quam suppositi structura prebuit luculenter; unde sicut scribitur, Iob 42. (14), prima filia Job vocata fuit Dies; et hec nobilitas {79rb} in persona est nobilitas in prole; Iob 14. (21): *sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles.*

<1.1.4> Cuius precii delatura redoluit placenter; idcirco, sicut eodem libro Iob scribitur, secunda filia Iob vocata fuit Cassia,<sup>4</sup> propter odorem bone fame, secundum intellectum glose ibidem.

<1.1.5> Cuius preconii vectura sonuit et intonuit indesinenter; idcirco, eodem libro Iob, tertia filia Iob vocata fuit Cornustibii, in laude contentus, secundum glosam; et utreque immediate dicte nobilitates in fama est nobilitas in nomine vel laude; hec autem nobilitas diffundit ad distancia et remota, iuxta illud Can. 1 (2) *oleum effusum nomen tuum*; Luc. 19 (12) *homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam.*

<1.1.6> Quam connubii iunctura decuit eminenter; 3 Reg. 3. (1) Salomon *affinitate iunctus est pharaoni regi Egypti, cepit namque filiam eius, et adduxit in civitatem David*; et hec nobilitas ex altero aucta est nobilitas ex coniuge; Prov. ult. (31,23) *nobilis in portis vir eius.*

Set ut clareat qualiter est regis filia *ut regina* iuxta verba thematis, est notandum, quod ‘ut’ quandoque notat consecucionem vel consequencie {79va} ordinem ut post regem filia regis sit regina. Quandoque idem quod ‘quamvis’ et tunc notat condicionis vicissitudinem, ut sicut rex est re, ita filia regis est regina spe. Quandoque idem quod ‘postquam’ et tunc notat quandam potencie aptitudinem ut post regem in potencia et aptitudine natura est ut sit regina. Quandoque idem nature veritatis certitudinem, sicut cum dicitur de Christo *habitu inventus ut homo* (Phlp. 2, 7), sic filia idem nature est ut regina. Quandoque cause finalis habitudinem, ut isti pugnant ut vincant, sic filie regis finis ut sit regina. Quandoque conveniencie similitudinem, nam filia regis nedum ut regina, id est similis regine, debet esse corpore set mente virtutibus, scilicet, et moribus.

De predicta autem parentum nobilitate parum sanctis viduis est curandum, nisi quantum operentur ardua virtuosorum non ut dedignentur pia et humilia meritorum. Primo enim modo attenditur nobilitas in vidua sicut in Iudith, {79vb} cuius non inmerito geneologia commemoratur Iudith 8. c. in principio (8, 1), ubi dicitur: *et factum est cum audisset hec verba Iudith, que erat filia Merari, filia Adoc, filii Ioseph, filii Osye etc.*,<sup>5</sup> non sicut dictum est. Secundo modo curandum est eis de nobilitate, ut [non] dedignentur pia et humilia meritorum, sicut de quibusdam viduis ait Augustinus libro de vita christiana, c. 20 in principio: tria autem

---

<sup>4</sup> Vulg. (Job 42, 13-14): “Et fuerunt ei septem filii, et tres filiae. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundae Cassiam, et nomen tertiae Cornustibii”.

<sup>5</sup> Vulg. “et factum est cum audisset haec Iudith *vidua* quae erat filia Merari *filii* Ioseph filii Oziae...”

esse viduarum genera non ignorare te credo. Unum, quod perfectissimum est, celesti premio predestinatum, quod, ritu illius de evangelio vidue, Deo oracionibus et ieiuniis die noctuque deservit. Aliud vero, quod filiorum curam habet et domus, non tantum dignum, nec tamen peccatis obnoxium. Tercium vero genus est in epulis et deliciis, que eterne morti et pene servatur; sicut scriptum est: *viduas honora, que vere vidue sunt* (1 Tim. 5,3). Iste sunt prime, vereque dicuntur eciam, que iubentur a tanto sacerdote, hoc est, a Thimoteo honorari.<sup>6</sup> Sequitur infra. Illa vero tercio modo dicta, se quomodo viduam Christi dicit, que nichil tale operata est? Set sunt aliquae divites {80ra} nobiles et potentes, quibus forsitan videtur indignum ut aut *filios* Deo et non seculo edoceant, aut *hospicio* recipiant advenam, aut *sanctorum pedes* (1 Tim. 5, 9) laboriosos et lutulentos aut sordidos lavent, vel delicatis et nitidis manibus tangant. Set nec digne erunt tales in futuro tempore sanctorum esse consortes, quos ita in presenti spreverunt. Vis videre, quam prime vidue sunt vere nobiles et electe ac optime? Quia vere vidue et ideo ab honorabilibus honorande. Secunde sunt eciam ut bone a sapientibus tolerande. Tercie non sunt vere nobiles, quia false vidue, idcirco ab omnibus detestande secundum sentenciam Augustini, ibidem.

<1.2> Ad declaracionem autem sequentis secundi membri, bene premittitur parentum nobilitas, deinde virtutum claritas, quia quedam *gloria ab intus*. Nam semper nobilitati virtus debet esse annexa. Unde libro secundo politicorum, c. 9., dicitur quod generosi nobiles et virtuosus indignabuntur iuste, si alii equalia eis recipiant, quia sicut contra iusticiam est, ut equales inequalia recipiant, ita iniustum {80rb} est, ut inequales equalia habeant.<sup>7</sup> Secundo quia nobiles habent meliorem disposicionem corporis, que facit ad bonam disposicionem anime et per consequens ad virtutem. Unde propter simile dicit Philosophus, libro primo politicorum, c. 4, quia anime pulcritudo ignoratur idcirco propter dictam causam pulciores corpore magis principari debent.<sup>8</sup> Ad bene autem principandum requiritur magna perfeccio in virtute. Verumptamen non propterea debent gloriari de nobilitate, que est respectu anime extrinseca et ab extra. Ad quod facit Augustinus sermone de penitencia, qui incipit “vox penitentis”, et infra post multa: Secundum quem intellectum quibusdam dicitur: *vos a patre*

---

<sup>6</sup> PSEUDO-AUGUSTINE, *Liber de vita christiana*, 15, PL, vol. 40, col. 1045; or PL, vol. 50, col. 401.

<sup>7</sup> *Politica*, III, 9, 1280a; see F. SUSEMIHL, ed., *Aristotelis Politicorum libri octo cum vetusta translatione Guilelmi de Moerbeka*, Leipzig, 1872, p. 183. Cf. THOMAS AQUINAS, *Sententia libri politicorum*, 2, 9, 3. Robert seems to follow Aquinas rather than Aristotle, since the principle that equality is just but among equals appears only in bk. III, nevertheless Aquinas refers to it earlier in order to reinforce Aristotle’s criticism of the constitution of Phaleas in bk. II.

<sup>8</sup> *Politica*, I, 5, 1254b-1255a; SUSEMIHL, ed., *Aristotelis Politicorum* cit., p. 21. Cf. THOMAS AQUINAS, *Sententia libri politicorum*, 1, 3, 18.

*dyabolo estis* (Io 8,44); neque enim dyabolus aliquem hominem vel potencia creavit, aut generando procreavit, et tamen dicitur pater impiorum, non propter generacionem, set propter imitationem; sicut contra de bonis dicitur: *ergo Abrae semen estis* (Gal 3, 39), cum loquatur gentibus, [que] stirpem carnis ex Abrahe genere non ducebant, filii enim erant non nascendo, set imitando; abrogatur autem et alienatur a perfidis pater Abraham, quando eis Dominus dicit: *si filii Abrahe essetis facta Abrahe faceretis* (Io 8, 39); {80va} et ut male arbores de Abrahe paternitate gloriantes eradicarentur, et filii abrahe de lapidibus permutentur;<sup>9</sup> et ideo non dedignemur a philosophis exemplum recipere, qui felicitatem et gloriam posuerunt in hominis anime tamquam interioribus, unde Philosophus primo libro Ethicorum, c. 7: viri pauci et gloriosi posuerunt felicitatem in ipsis bonis anime;<sup>10</sup> unde postquam premissus est *filie regis*, congrue sequitur *omnis gloria eius ab intus*.

Quantum igitur ad secundum, quod notatur in dicta auctoritate, scilicet virtutum claritas faciens beatam Elisabet perspicuam et illustrem, cum additur *gloria eius ab intus*, attendendum quod gloria quasi clara, id est claritas, intus est, ac scilicet in anima, quod ostendit

<1.2.1> ymago concreata Deum representans et explicans, Ps. 7. (6) *gloriam meam in pulverem deducat* glosa: *gloriam meam*, id est me ad ymaginem Dei factum, pro qua possumus adducere illico, Augustinus, libro de Trinitate c. ult. in fine adducens illud: *iustus ex fide vivit* (Gal 3, 11); *que fides per dileccionem operatur* (Gal 5, 6), ita ut virtutes {80vb} quoque ipse quibus prudenter, fortiter, temperanter, iusteque vivitur, omnes ad eandem referantur fidem: non enim aliter vere poterunt esse virtutes; que tamen in hac vita non valent tantum, ut aliquando non sit hic necessaria qualiumcumque remissio peccatorum; que non fit nisi per eum qui sanguine suo vicit principem peccatorum; ex hac fide et tali vita quaecumque nociones sunt in animo fidelis hominis, cum memoria continentur, ut recordacione inspiciuntur, et voluntati placent, reddunt quamdam sui generis trinitatem;<sup>11</sup> set hec ymago Dei sine eius similitudine modica gloria est; unde per simile Seneca: paterna namque gloria nos inglorios reddit, cum ab eius vestigiis dissimilitudine recessimus; idcirco bene supra Augustinus ymagini naturalium similitudinem virtutum inseruit et adiunxit.

<1.2.2> Continencia insita malum detestans et bonum testificans, Ps. 7. (6) *gloriam meam in pulverem deducat* glosa: *gloriam meam*, que debet esse in consciencia {81ra} et solida in

<sup>9</sup> AUGUSTINE, *Sermones*, CCCLII, 1, 3, PL, vol. 39, col. 1552.

<sup>10</sup> *Ethica Nicomachea*, I, 9, 1098b; see R.-A. GAUTHIER, ed., *Translatio Roberti Grosseteste Lincolnensis sive 'Liber Ethicorum' B. Recensio Recognita*, Brussels – Leiden, 1973 (Aristoteles Latinus 26/1-3), p. 385.

<sup>11</sup> Augustine, *De Trinitate*, XIII, 20, ed. W. J. MOUNTAIN – F. GLORIE (CCSL, 50-50A).

Deo, 2 Cor. 1. (12): *gloria nostra hec est: testimonium consciencie nostre*; glosa: illud unde gloriamur hoc est, scilicet *testimonium consciencie nostre*, id est consciencia pura non remordens nos, set testificans; et ad Ephe. 6. (Gal. 6, 4) *in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero*; glosa: *in semetipso*, id est in consciencia propria *gloriam habebit* portans *oleum secum* cum virginibus (Mt 25,3); Ps. *omnis gloria eius* etc. vis videre quanta est bone consciencie gloria? Ait Augustinus sermone nono de nativitate, in fine, de hac gloria consciencie: in hac igitur gracia gaudeamus, ut sit gloria nostra testimonium consciencie nostre (2 Cor 1, 12), ut non in nobis, set in Domino gloriemur;<sup>12</sup> et Hugo de Sancto Victore libro secundo de claustro anime, c. 9: consciencia bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, ortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, archa federis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber signatus et clausus, et in die iudicii aperiendus.<sup>13</sup>

<1.2.3> Gracia addita meritum gratificans; Iob 36. (11): *complebunt {81rb} dies suos in bono et annos suos in gloria*; glosa: *complebunt dies suos in bono*, scilicet graciae, *et annos suos in gloria patrie*; de ista gloria ait Augustinus sermone nono de nativitate Domini, qui incipit “natalis Domini” adducens illud: *iusticia et pax osculate sunt* (Ps 84, 11) ad invicem, per Dominum nostrum Ihesum Christum, quia *veritas de terra orta est* (Ps 84, 11), per quam accessum habemus ad gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur.<sup>14</sup>

<1.2.4> Spes infusa animam et propositum fortificans; Iob 39. (20): *gloria narium eius terror*; glosa: naris quandoque dicitur presciencia, ut hic et Ysa 3.: nare enim remota odoramus,<sup>15</sup> sic sancti, dum futurum iudicium et patriam presentiunt, qui per nares spem trahunt; *gloria* igitur *narium terror*, quia iustus inde expectando gloriatur, unde peccator terretur; de qua gloria spei idem Augustinus, ubi supra, in sermone ait: *veritas de terra orta est* (Ps 84, 11), per quam accessum habemus ad gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe glorie Dei; non autem in spe glorie nostre, quia iusticia non de nobis processit, set de celo prospexit; igitur, qui gloriatur, non in se, set in Domino gloriatur.<sup>16</sup>

<1.2.5> {81va} Timoracio sancta ausum modificans; Ecc. 25. (8): *gloria senum timor Dei*;<sup>17</sup> glosa: *timor Dei* causa glorie; et Ecc. 1. (11): *timor Domini gloria et gloriacio et leticia et corona exultacionis*; glosa: *timor Domini* filialis *gloria et gloriacio*, id est causa harum, *gloria*

<sup>12</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CLXXXV, 3, PL, vol. 38, col. 998.

<sup>13</sup> PSEUDO-BERNARD, *Tractatus de interiori domo seu de consciencia aedificanda*, 11, PL, vol. 184, col. 517A-B.

<sup>14</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CLXXXV, 3, ed. cit., col. 998.

<sup>15</sup> This quotation is apparently not taken from the Bible and certainly not from Isiah 3.

<sup>16</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CLXXXV, 3, ed. cit., col. 998.

<sup>17</sup> Vulg.: “corona senum multa peritia et gloria illorum timor Dei”.

est testimonium consciencie, *gloriatio* laus Dei, *leticia* gaudium spei, *corona exultationis* corona glorie, que habebitur in futuro – hec quatuor facit timor; Prov. ult. (31, 30): *mulier timens Deum ipsa laudabitur*; verum quam laudis et glorie sic conveniencia ipsius glorie diffinitionis indicat continencia, nam secundum beatum Ambrosium: gloria est clara noticia cum laude,<sup>18</sup> vel secundum Augustinum, de diffinitionibus: gloria est frequens de aliquo fama cum laude.<sup>19</sup>

<1.2.6> Intencio bona intuitum rectificans; Ps. 89. (88, 18): *gloria virtutis eorum tu es*; eorum, scilicet virtutis gloriam ad Deum referendo tamquam ad obiectum finale et terminum intencionis. De hac gloria intencionis recte ad Deum ait Augustinus, in sermone de versu Ps. 9 (35): *tibi derelictus est pauper*, adducens illud apostoli (Rom 4, 3): *credidit Abraham Deo, et reputatum est {81vb} ei ad iusticiam*,<sup>20</sup> ut scias, quia Abraham non fuit inflatus ex bonis operibus suis, sciebat enim, quod quicquid habebat, non in seipso, set in Domino gloriabatur, audi apostolum Paulum (Rom 4, 1): *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, set non ad Deum*.<sup>21</sup>

<1.2.7> Fruicio eterna ab intus totum beatificans; Prov. 11. (16): *mulier graciosa inveniet gloriam*; quomodo autem eterna gloria potius erit ab intus Augustinus sermone de vanitate huius seculi, qui incipit “in hac vita”, adducens illud: *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris mei* (Mt 13, 42); qualis putatis tunc erit splendor animarum, quando solis claritatem habebit sol corporum?<sup>22</sup> set bene dicitur predicta gloria ab intus; non solum ab intus, quia intus debet procedere ad extra secundum illud, Exo. 25. (11) de archa: *et aurabis eam intus et foris*; glosa: quia Christi humanitas intus virtute plena erat, et foris Sancti Spiritus opera premonstrabat; et Ezech. 2. (9): *liber erat scriptus intus et foris*; glosa: intus et foris, propter occulta divinitatis et aperta humanitatis, vel intus et foris, quia intus {82ra} docet habendam mundiciam cordis, foris honestatem conversacionis; set tamen nec de virtutibus moralibus, aut aliis, de quibus nunc diximus debet aliquis gloriari, sicut ait Augustinus in sermone quodam de penitencia, qui incipit “quam sit utilis et necessaria”: deinde quamvis aliquis gloriatur sic se habere corpus edomitum, ut mundo crucifixus ab omni opere malo, in servitutem redacta membra castiget, nec iam regnet peccatum in eius mortali corpore, ad obediendum desideriis eius etc.; sequitur: tamen nolo gloriatur; intelligat hec omnia praestita esse, non a se existere; quid enim

---

<sup>18</sup> AUGUSTINE, *Contra Maximinum*, II, 13, PL, vol. 42, col. 770.

<sup>19</sup> AUGUSTINE, *In Iohannis euangelium tractatus*, 100, 1, ed. R. WILLEMS (CCSL, 36); or AUGUSTINE, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, 31, 3, ed. A. MUTZENBECHER (CCSL, 44A).

<sup>20</sup> Vulg.: “Credidit Abraham Deo, et reputatam est illi ad justitiam”.

<sup>21</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, XIV, 3, PL, vol. 38, cols. 113-114.

<sup>22</sup> PSEUDO-AUGUSTINE, *Sermo de vanitate saeculi*, PL, vol. 40, col. 1213 (= *De rectitudine catholicae conversationis*, PL, vol. 40, col. 1184).

habet, quod non accepit?<sup>23</sup> etc. que ibi ponit; et licet sancte vidue pro talibus virtutibus non debent esse sibi in gloriam, tamen propter ipsas, et hoc non intendentes possunt esse aliis vel gloria aliorum, sicut Iudith 15. (10), de ipsa scribitur: *tu gloria Ierusalem, tu leticia Israel, tu honorificencia populi nostri, quia fecisti viriliter, eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris.*

{82rb} Presertim de moralibus virtutibus non gloriandum, quia tales virtutes non sunt, nisi quedam eciam insufficientes dispositiones et remote ad virtutes theologicas meritorias infusas, idcirco congrue postquam pro eis premisit, quod *omnis gloria ab intus*, subiunxit: *in fimbriis aureis.*

<1.3> Ubi tamquam circa tertium, sicut predictum est, notatur carismatum vel donorum preciositas efficiens gloriosam Elizabeth perspicuam et insignem, cum additur: *in fimbriis aureis.* Ubi advertendum, quod per has fimbrias intelligere possumus magna et eximia preceptorum mosayce tradicionis; Num. 15. (38-39): *loquere filiis Israel, et dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas iacinctinas ut cum viderint, recordentur omnium mandatorum Dei;* et Deut. 22. (12): *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris;* glosa: *funiculos*, id est fimbrias iacinctinas hoc est dictu secundum glosam in omnibus que agis, memor {82va} esto preceptorum Dei. Vel humilia et exigua consiliorum evangelice perfeccionis; Augustinus in sermone conversionis sancti Pauli, qui incipit “verba apostoli” inquit audi Paulum ‘quasi parvum’, *ego sum minimus Apostolorum* (1 Cor 15, 9) et alio loco, *ego sum novissimus Apostolorum* (1 Cor 4, 9); minimus et novissimus, tamquam fimbria de vestimento Domini; quid tam exiguum, quid tam minimum sicut fimbria? hac tamen tacta, mulier a fluxu sanguinis sanata est (Mat 9, 20-22).<sup>24</sup> Set hec fimbrie non incongrue dicuntur auree. Invenimus enim aurum

<1.3.1> fidelis credencie et evidencie in confessionibus et passionibus; Exo 35. (5): *offerat Domino aurum et argentum;* glosa: *aurum* fidem, *argentum* confessionem, corde enim creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem; et Ysa. 60. (6): *omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes;* glosa: *aurum* fidem, caritatem et sapienciam, vel maturitatem et fulgorem conversacionis; huic congruit illud, quod ait Ysidorus,

---

<sup>23</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CCCLI, 3, 4, PL, vol. 39, col. 1539.

<sup>24</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CCLXXIX, 1, 5-6, PL, vol. 38, col. 1278.



Ethimologiarum libro 16.: Aurum ab aura dictum, eo quod repercusso aere plus refulget; item idem ibidem: aurum dictum obrizum eo quod splendore obradiat ac fulgore.<sup>25</sup>

<1.3.2> Caritatis seu spiritualis amicitie {82vb} in affectionibus; Prov. 12. (27): *substantia hominis erit auri precium*; glosa: id est qui vere est homo dat substantiam suam pro auro caritatis; Tren. 4. (2): *fili Syon incliti amicti auro primo*; glosa: *aurum primum* est caritas, aurum secundum amor proximi, vel *aurum primum* in principio conversionis fervens, aurum secundum caritas processu temporis tepescens; item Apo. 3. (18): *suadeo tibi emere a me aurum ignitum*; glosa: *aurum*, caritatem fulgidam, luce intimi splendoris *ignitum* fervore dileccionis probatum in electis per fornacem tribulacionis; Can. 5. (14): *manus eius tornatiles, auree, plene iacinctis*; glosa: *manus eius*, id est virtutes eius operative, que fuerunt *tornatiles*, id est in nullo reprehensibiles, ad opus bonum volubiles, *auree* ex mera caritate procedentes, et quia nec tribulacionis, nec laudacionis fornace uri in aliquo potuerunt, *plene iacinctis*, id est operibus solidis, preciosis, virtuosis, celestia ostendentibus. Aurum et auctoritate Platearii habet precipuam preciositatem, nam inter omnia metalla simpliciter est maioris precii et valoris;<sup>26</sup> est etiam sicut patet per Avicennam, in secundo, multiplicis contra infirmitates {83ra} virtutis;<sup>27</sup> hinc etiam congruit quod idem Avicenna eodem libro dicit, quod aurum confert ei, qui sibi soli loquitur,<sup>28</sup> nam caritas minus quam inter duos esse non potest, secundum Gregorium.<sup>29</sup>

<1.3.3> Virtualis paciencie et constancie in tribulacionibus; Ecc. 50. (10): *quasi vas auri solidum ornatum omni lapide precioso*; glosa: *vas* fuit Christus per doctrinam, *aureum* per mundiciam, *solidum* per pacienciam, quia ipse fuit virgo et martir; Iob 23. (10): *probavit me quasi aurum*; glosa: quia ex tribulacione vicia purgantur et merita augentur; et Sap. 3. (6): *tamquam aurum in fornace probavit illos*; glosa: tamquam aurum, quod non uritur, set depuratur; Gen. 34. (24, 53): *prolatis vasis aureis et argenteis dedit ea Rebecce pro munere*; glosa: dedit vasa argentea et aurea, id est intellectum scripture cum eloquencia et morum honestate, vel virtutum diversa genera, et hoc Rebecce, que interpretatur paciencia vel sapiencia; huic competit, quod aurum, auctoritate Platearii, percussum non resonat, sicut argentum vel es, nec crepat, nec funditur, set potius extenditur et equaliter dilatatur, nisi ei fuerit aliquid metallum adulterinum {83rb} aliquo modo admixtum.

---

<sup>25</sup> ISIDORE OF SEVILLE, *Etymologiarum sive Originum libri XX*, XVI, 20, 1, ed. W. M. LINDSAY; *ibid.*, XVI, 18, 1-2.

<sup>26</sup> Cf. MATTHAEUS PLATEARIUS, *Liber de simplici medicina*, Lyons, 1512, ch. 3, f. 2r-v. There is no reference here to the value of gold.

<sup>27</sup> AVICENNA, *Canon medicinae*, II, II, 79, 5 vols., Venice, 1486, vol. 2 (without foliation).

<sup>28</sup> *Ibid.*

<sup>29</sup> AUGUSTINE, *Quaestiones euangeliorum*, II, 14, ed. A. MUTZENBECHER (CCSL, 44B).

<1.3.4> Mentalis et corporalis mundicie in accionibus; Ecc. 50. (10): *quasi vas auri solidum ornatum omni lapide precioso*; glosa: *vas* fuit Christus per doctrinam, *aureum* per mundiciam, *solidum* per pacienciam; Can. 1. (10): *murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*; glosa: murenule ornamentum, quo monilia colligantur collo, et significant vite mundiciam, quasi diceret secundum glosam: vite mundiciam conferimus tibi, scilicet ego Pater et Spiritus Sanctus, vel ego et mei coadiutores apostoli et viri apostolici; habet enim aurum, secundum eundem Avicennam, libro eodem, virtutem mundificativam, idcirco rectificat fetorem oris et alias infirmitates procedentes ex corrupcione circa cutem, ut alopicie, serpiginis<sup>30</sup> et similibus; et eciam secundum Platearium, Avicennam et alios medicine auctores, propter eandem virtutem confert lepre et elephancie.<sup>31</sup>

<1.3.5> Legalis iusticie in operacionibus; Iob 28. (15): *non dabitur aurum obrizum pro ea*; glosa: *aurum obrizum*, id est angeli sancti, [quasi] aurum propter claritatem iusticie; Exo. 25. (36): *facies universa legalia de auro purissimo*;<sup>32</sup> glosa: *de auro*, quia Christo a peccato {83va} immunis, operibus iusticie clarus, malleis tribulacionum extensus est, quem imitantur membra eius pro posse suo; huic congruit, quod idem Avicenna ait in dicto libro secundo, quod aurum est equale et subtile; equalitas autem iusticie competit; huic eciam accedit, quod dicit Avicenna ibidem, quod melius cauterium et velocius sanabile sit ex eo.<sup>33</sup>

<1.3.6> Celeris et habilis obediencie in iussionibus; Iob 42. (11): *dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem unam auream*; glosa: *ovem unam*, simplicem innocenciam, *et inaurem auream unam*, humilis auditus obedienciam; huic competit, quod Ysidorus ait libro 16. Ethimologiarum, quod aurum habet precipuam ductilitatem; nichil enim eo inter metalla ductilius; tante enim est ductilitatis, quod inter incudem et malleum sine rupcione, sine decisione parcium in bruceas, id est tenuissimas laminas dilatatur.<sup>34</sup>

<1.4> Quantum ad quartum, ubi notatur morum venustas et honestas reddens beatam Elizabeth congruam Christi coniugem, est advertendum, quod hoc membrum apte sequitur post immediate precedens, {83vb} nam si ex virtutibus moralibus, que sunt intra, sequatur morum honestas extra, sine tamen virtutibus immediate premissis infusis et meritoriis, nec talis honestas exterior Deo seu Christo sponso placeret vel parum, nec potest stare vel durare, nec veraciter apparere, quia oportet, quod tales cadant finaliter in peccatum vel peccata, quibus

<sup>30</sup> AVICENNA, *Canon*, II, II, 79.

<sup>31</sup> PLATEARIUS, *Liber* cit., ch. 3, f. 2r-v

<sup>32</sup> Vulg.: “Facies ... universa ductilia de auro purissimo”.

<sup>33</sup> AVICENNA, *Canon*, II, II, 79.

<sup>34</sup> ISIDORE, *Etymologiae* cit., XVI, 18, 2.

tota illa honestatis apparencia maculetur et aliqua infamia deturpetur. In *circumamictu* vite honestas ostenditur; unde tam regina, quam vidua, quam Christi sponsa, sic debent tam velo, quam pallio circumdari, ut nedum capillus, set nec nudum de earum vix corpore aliquid cerni possit; hec enim nupte bene paciuntur a viris, hinc: *Rebecca conspecto Ysaac veniente tollens cito pallium operuit se*, Gen. 24. (64-64). De regina vero de qua hic agitur in psalmo, alibi scribitur: *astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (Ps. 44, 10). De viduis autem exemplum in Iudith, que in signum occultacionis et penitencie, depositis vestimentis iocunditatis sue, ingressa est oratorium suum, induit se cilicio, {84ra} Iudith 15.<sup>35</sup>

Circa quod attendendum, quod ad perfecte honestatis amictum sex concurrere dinoscuntur, que in sponsis Christi maxime requiruntur, scilicet

<1.4.1> puritas innocencie et mundicie ab ortu; Apo. 4. (4): *viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti stolis albis*; glosa: *circumamicti stolis albis*, quas in baptismo induerunt, que sunt tres dotes anime, vel stole albe: conversacio exterior plena virtutibus; verum hec mundicia vel albedo debet esse perseverans, sicut scribitur, Ecc. 9. (8): *omni tempore sint vestimenta tua candida*; non debet sicut in lepore variari, de quo Ambrosius in Exameron tractatu, dies quinte: lepores certe, quos de proximo facile cognovimus, yeme albescere, estate in suum colorem redire non dubium est.<sup>36</sup>

<1.4.2> maturitas modestie in gestu; I. Reg. 28. (14): *vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio*; bene enim in ascensu senis maturitas, qui gravis est, ostenditur, non enim currendo, nec saltando ascendit; Ecc. 25. (27): *ascensus arenosus in pedibus veterani*; unde de hac maturitate {84rb} Augustinus, sermone de nativitate Domini quarto, qui incipit “primus homo”, sanctum Symeon commendans et ad nostrum exemplum inducens, ait: Multum iste senex fuit ad audiendum serus, set ad videndum maturus.<sup>37</sup>

<1.4.3> Utilitas evidencie in actu et processu; Ps. 103. (2): *amictus lumine sicut vestimento*; hoc lumen est bonum exemplum operum exterius demonstratum; Mt. 5. (16): *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra* etc., que verba satis discutit Augustinus, in sermone de ovibus Christi, et eadem verba adducens sermone de dedicacione ecclesie tercio, in fine sermonis ait: ut *luceant bona opera vestra*, non ibi remansit, set *glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (Mt 5, 16); si sic in bono opere videri quaeris eternam gloriam acquisisti; sic igitur faciamus, ut videamur ab hominibus, ut visionem

<sup>35</sup> This statement must be based on some interpretation of the book of Judith.

<sup>36</sup> AMBROSE, *Exameron*, V, 23, 77, ed. C. SCHENKL, Vienna, 1896 (CSEL 32/1).

<sup>37</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CCCLXX, 3, PL, vol. 39, col. 1658.

hominum pro mercede non queramus, set sic faciamus, ut videntibus et imitantibus gloriam Dei cognoscamus, quod si nos tales non faceret, nihil essemus.<sup>38</sup>

<1.4.4> Acerbitas penitencie in convictu; Apo 4. (10, 1): *vidi angelum descendentem de celo amictum sacco*;<sup>39</sup> et ibidem (11, 3): *dabo duobus testibus meis amictis sacco*<sup>40</sup> {84va}; glosa: *amictis sacco*, verbo et exemplo penitentiam predicantes; unde preciosis induiti non videntur nuncii Christi venientis, set magis recedentis; bonum est indui sacco penitencie, ut rumpatur saccus humane nequicie, de quo dicit Augustinus, sermone super illo Proverbiorum “Sunt qui se videri divites affectant” etc.: vide divicias Christi *in principio erat verbum*, vide paupertatem: *Et verbum caro factum est* (Io. 1, 14); hac enim sumus paupertate ditati, quia in sanguine ejus concisus est saccus peccatorum nostrorum;<sup>41</sup> unde idem Augustinus, sermone in natali plurimorum martirum, circa principium ait, adducens illud: *convertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum*, etc. (Ps. 29, 12); ut, fratres, rumpatur in nobis saccus penitencie, et effundatur precium indulgencie etc.<sup>42</sup>

<1.4.5> Religiositas sanctimonie in habitu et in conventu; Exo. 50. (Ecc. 50, 12): *in ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum*; per talem *sanctitatis amictum* intelligere possumus religiose conversacionis cultum; idcirco religiosi alii et monachi induuntur, ut hanc representent, aliqui habitu nigro ad designandum se mortuos {84vb} mundo, aliqui albo, ut nitorem castitatis, quam voverunt, eciam veste protestentur, aliqui cinerei vel terrei coloris, ut morte resolutionem corporis sui semper cogitent, et ex hoc carnem suam cum mundo contempnant; unde Anselmus in libro de similitudinibus, ubi loquitur de monacho: viles vestes nigrasque fert, ut se vilem reputet peccatorem; quod vero eisdem a capite usque ad pedes tegitur, hoc eum facere a principio vite usque ad finem hortantur;<sup>43</sup> hoc est talaris tunica et polimita, quam filio suo Ioseph fecisse legitur Iacob patriarcha; quod autem cedree sunt in modum cruces, eum semper habere commovent memoriam dominice passionis.

<1.4.6> Sedulitas obtemperancie in [promptu]; Eze. 16. (8): *expandi amictum meum super te*; glosa: protexi te columpna nubis per diem, et ignis per noctem (Ex. 13. 21), vel dedi tibi legem, qua te gereris, legi autem est obtemperandum; et ad Hebre. 1. (12): et velud amictum mutabis eos, et mutabuntur; glosa: mutabis eos, celos, quos amictui comparat, quia terram cingunt, tam facile autem mutat Deus, sicut {85ra} amictus extenditur et plicatur; per hanc

---

<sup>38</sup> Ibid., CCCXXXVIII, 5, PL, vol. 38, col. 1479.

<sup>39</sup> Vulg.: “Et vidi alium angelum fortem descendentem de caelo amictum nube”.

<sup>40</sup> Vulg.: “dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis”.

<sup>41</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, XXXVI, 3, PL, vol. 38, col. 216.

<sup>42</sup> Ibid., CCCXXVI, 1, PL, vol. 38, col. 1449.

<sup>43</sup> EADMER, *Liber De Sancti Anselmi Similitudinibus*, 92, PL, vol. 159, col. 661B.

facilem mutacionem celorum intelligere possumus promptam obedienciam religiosorum et sanctimonialium et viduarum sicut hec sancta, que illi Corrado post virum defunctum obediencia se subiecit, que tam facilis et prompta esse debet, sicut mutatur amictus, extenditur, scilicet, vel plicatur; nam extenditur obediencia concedendo vel indulgendo aut iniungendo, plicatur autem inhibendo; unde de hoc Augustinus, sermone de quatuor virtutibus sancte caritatis, loquens de Abraham: egredere, inquit, *de cognacione tua et de domo tua* etc. (Gen. 12, 1), nec apud se iste sanctus cogitavit aut dixit, ‘quo eam?’, ‘cui me committam?’, ‘in quam terram vadam?’, set statim audit, surgit, festinat, currit, accelerat; terram promissam non videt, set credendo eam firmiter retinet; sequitur: impletur in eo, quod Dominus in Evangelio suis discipulis promisit: *si quis dimiserit domum, aut agrum, aut parentes nominis mei causa, in hac vita centuplum accipiet, et in futuro saeculo vitam {85rb} consequetur eternam.*<sup>44</sup>

<1.5> Quantum ad quintum, ubi notatur sanctorum exemplorum et operum speciositas exhibens beatam Elizabeth viduam spectabilem, cum subditur: *varietatibus*, attendendum, quod expedit nedum una virtute uno informare exemplo, set variis tamen ex parte virtutum, quia una non sufficit eciam ad salutem, tum quia multos oportet proximos informare, quatinus nunc avari elemosinis, nunc luxuriosi hostis, nunc superbi et tumidi humilibus instruuntur et edificentur, idcirco sciendum, quod varietatem sextuplicem invenimus, scilicet

<1.5.1> fundacionis disposicionum congruarum pavementum inceptorum; Hest. 1. (6): *super pavimento smaragdino et pario stratum lapides dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat*; set de hoc pavimento, scilicet mistico, ait Hugo, De claustro anime libro tercio: est autem misticum pavementum, humilis concordia fratrum, qui in spiritali fraternitate, sub magisterii regula humiliter seipsos prosternunt calcandos eciam persequentibus, concordii societate, ne in disposicione pavimenti sciencia, que inflat, inter fratres inequalitatis offendiculum {85va} ponat; ne in aliquo nobilitas generis scrupulum faciat elacionis; ne hiis, qui de seculo ad monasterium aliquid de proprio attulit, remissior in labore, paracior in habitu, delicacior in victu, honoracior pre ceteris esse velit; set ordinatis fratribus in pavimento benivole subieccionis, detur unicuique sicut cuique opus fuerit, iuxta constitutum apostolice disposicionis;<sup>45</sup> de huius humilitatis pavimento ait Augustinus sermone de dedicacione

---

<sup>44</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CVI, 5, PL, vol. 39, col. 1953.

<sup>45</sup> HUGH OF FOUILLOY, *De claustro anime*, 23, PL, vol. 176, col. 1125A.

ecclesie: fundamenta quoque in cordibus vestris apostolica et prophetica monita iacite, humilitatem vestram sicut pavementum sine offensione sternite.<sup>46</sup>

<1.5.2> Connexionis virtutum preciosarum ornamentum activorum; Exo. 26. (31): *facies velum de iacincto, purpura, coccoque bis tincto, et bisso retorta, opere plumario et pulcra varietate contextum*; idcirco bene tam a philosophis quam sanctis doctoribus ponuntur virtutes connexe; unde Ambrosius super Lucam: connexe sibi sunt et concatenate virtutes, ut qui unam habet plures habere videatur;<sup>47</sup> et Augustinus, 6. de Trinitate dicit, quod virtutes que {85vb} sunt in anima humana nullo modo separantur ab invicem;<sup>48</sup> et Gregorius, 13. morum dicit, quod una virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta;<sup>49</sup> et Tullius, 2. de Tusculanis questionibus: si unam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum;<sup>50</sup> unde de bonorum activorum quolibet potest dici, quod ait Augustinus, sermone quarto de sancto Laurencio: inter flammigeros confessores, quos ad celum provexit perhemphnis gloria triumphorum sanctus Laurencius variati decoris fulgore [coruscat], prout ibi de variis coloribus exemplificat.

<1.5.3> Subiectionis regularium normarum iuramentum religiosorum; Iud. 5. (30): *suppellex varia ad ornandum colla congeritur*; per quod intelligimus merita religiosorum suis rectoribus subiectorum secundum presertim eas virtutes ad quas noto astringuntur; unde sanctimoniales secundum illas dicere possunt, quod beata Agnes de Christo aiebat: anulo suo subarravit me Dominus Iesus Christus, dextram meam, et collum meum cinxit lapidibus preciosis etc.;<sup>51</sup> de quo Zachar. 6. (3) scribitur: *in quadriga quatuor equi varii; equi isti sunt religiosi suis abbatibus vel prioribus subiecti et ab eis directi et {86ra} ducti*; set *quatuor*, secundum easdem virtutes cardinales, et varii aliis spiritualibus virtutibus donis spiritualibus et meritis diversis.

<1.5.4> Extensionis affeccionum bonarum unguentum perfectorum; Prov. 26. (27, 9): *unguento et variis odoribus delectatur cor*; glosa: *unguento* contricionis devocionis et pietatis et *variis odoribus* bonarum affeccionum *delectatur cor*; quicumque enim vas aromatum [claudere] oportet, [ne] evaporet odor bonorum odorum; potest autem attendi duplex odor, scilicet interior bone consciencie, unde primus odor agri vel primus filii; et exterior fame unde secundus odor vestis vel secundus agri. Sicut de Ysaac, quem cum osculatus esset Iacob,

---

<sup>46</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CCCXXXVII, 5, PL, vol. 38, col. 1478.

<sup>47</sup> AMBROSE, *Expositio euangelii secundum Lucam*, V, ed. M. ADRIAEN (CCSL, 14).

<sup>48</sup> AUGUSTINE, *De trinitate*, VI, 4.

<sup>49</sup> GREGORY THE GREAT, *Moralia in Iob*, XXII, 1, ed. M. ADRIAEN (CCSL, 143A).

<sup>50</sup> CICERO, *Disputaciones Tusculanae*, II, 13, 32.

<sup>51</sup> M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain au Moyen Age*, 4 vols., Vatican City, 1939-1941 (Studi e Testi, 88), vol. 3: *Le Pontifical de Guillaume Durand*, I, 23, 44. Antiphon from the office of St. Agnes, CAO, no. 2186.

odoratus est odorem vestis, et benedixit eum, et dixit ei (Gen. 27, 27): *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui, vel quem, benedixit Dominus*; quam auctoritatem adducit Augustinus, sermone de benedictionibus Esau et Iacob;<sup>52</sup> in agro enim pleno varius est odor varietate florum diversorum.

<1.5.5> Celacionis claustralium feminarum sacramentum misteriorum; Eze. 27. (7): *bissus varia de Egypto texta est tibi in velum*; bene enim misteriorum occultatio in velo {86rb} accipitur, Augustinus super Ps. 70.: neque enim frustra, illo crucifixo, *velum templi medium scissum est* (Luc. 23, 45), nisi quia per ipsius passionem omnium misteriorum secreta patuerunt;<sup>53</sup> vel ut Augustinus dicit libro de penitencia: idcirco velamine obumbrat capud suum mulier ut eciam in publico [tuta] verecundia sit; sequitur: nupciali tecta velamine sit, ne vel fortuitis obtutibus vel occursibus pateat ad vulnus alienum vel suum;<sup>54</sup> multo magis de sanctimonialibus, unde Ieronimus epistula ad Fabinianum: moris est in egypti et sirie monasteriis, ut tam virgo quam vidua, que deo se voverunt, et seculo renunciantes, omnes delicias seculi conculcarunt, crinem monasteriorum matribus offerant [desecandum], non intecto postea, secundum apostoli voluntatem, incisure capite, set ligato pariter ac velato; nec hoc quisquam preter tondentes novit et tonsas, quod nisi quia ab omnibus fit, pene nescitur ab omnibus; hoc autem duplicem ob causam de consuetudine versum est in naturam, vel quia lavacra non adeunt, vel quia oleum nec capite nec ore norunt, ne parvis animalibus, que inter incultum crinem gigni solent, et concretis sordibus opprimantur.<sup>55</sup>

<1.5.6> Elevacionis et ascensuum alarum {86va} operimentum contemplativorum; Eze 18. (17, 3): *aquila magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri*; in aquile claro aspectu, alarum alto volatu contemplativum accipimus; hanc autem in contemplacione varietatem intelligere possumus per ea, que Ricardus de Sancto Victore ait libro suo de contemplacione, parte 1., capitulo 10.: oportet absque dubio omnis illas superiores designatas sex contemplacionum alas habere, qui cupit et ambit usque ad tercii celi secreta divinitatisque archana volare<sup>56</sup> etc.

<2> Secundo principaliter et verbis thematis preassumpti notatur domacio sensualis adversarii et excessus mentalis ocii, cum additur *sedeo*. Pro quo possumus exponere illud, Apoc. 17. (3): *vidi mulierem sedentem super bestiam, et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et*

---

<sup>52</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, 4, 23-25, PL, vol. 38, cols. 45-46.

<sup>53</sup> ID., *In psalmum lxx enarratio*, 2, 9, PL, vol. 36, col. 898.

<sup>54</sup> AMBROSE, *De Paenitentia*, 1, 14, ed. O. FALLER (SC, 179).

<sup>55</sup> JEROME, *Epistulae*, 147, 5.

<sup>56</sup> RICHARD OF ST. VICTOR, *De gratia contemplationis* (Beniamin Maior), I, 10, PL, vol. 196, col. 76 D.

*inaurata auro, et lapide precioso, et margaritis*; circa quam auctoritatem est attendendum, quod

<2.1> primo aliquis vincit per potenciam, secundum hoc notatur in predicta auctoritate virtus validior superans hostem: *super bestiam*;

<2.2> secundo quiescit post victoriam, {86vb} secundum hoc notatur in predicta auctoritate actus quiescior temperans mentem: *sedentem*;

<2.3> tercio acquirit favoris famam, secundum hoc notatur in predicta auctoritate sexus debilior cooperans ad laudem: *mulierem*;

<2.4> quarto suscipit honoris gloriam, secundum hoc notatur in predicta auctoritate ornatus preciosior venerans speciem: *circumdata purpura*

<2.1> Quantum ad primum, quod est virtus validior superans hostem, cum predicatur *super bestiam*, attendendum quod hec bestia multipliciter potest accipi, secundum quod bestiales sunt voluptuosi, 1. ethicorum, c. 3: multi quidem omnino bestiales esse videntur, vitam pecudum eligentes,<sup>57</sup> gulosi, sicut castrimargi 3. ethicorum, c. 8, de temperancia;<sup>58</sup> maliciosi, ad Titum 1. (12): *cretenses semper mendaces, male bestie*; glosa: sanguinem sicientes; set et bestia dyabolus, quia bestialitatis minister, unde ubi supra, *super bestiam* glosa: dyabolum bestialiter vivere facientem.

<2.2> Quantum ad secundum, post immediate primum sequitur actus quiescior temperans mentem, quia *sedentem*; superatis enim passionibus sensualitatis tunc virtuosus bene sedet, dum quiescit ab eis, idcirco non omnino incongrue, sicut philosophus dicit 2. ethicorum, c. 3., stoyci ponebant virtutes esse {87ra} quasdam impassibilitates et quietes respectu passionum,<sup>59</sup> propter quod nec ad quietem speculationis, nec contemplacionis pervenitur nisi illis, et viciis superatis; unde super illo Luc. 20. (10, 39): *Maria Magdalena sedens secus pedes Domini*; glosa: id est iam pacatis viciis optatam mentis quietem in Christo degustans.

<2.3> Quantum ad tertium, ubi notatur sexus debilior cooperans ad laudem, cum dicitur *mulierem*, unde apstolus dicit 2. Cor. 12. (9), quod *virtus in infirmitate perficitur*; idcirco in

---

<sup>57</sup> *Ethica Nicomachea*, I, 3, 1095b; GAUTHIER, ed., *Translatio* cit., p. 378.

<sup>58</sup> *Ibid.*, III, 13, 1118b; GAUTHIER, ed., *Translatio* cit., p. 428. Castrimargi = gastrimargi.

<sup>59</sup> *Ibid.*, II, 2, 1114b; GAUTHIER, ed., *Translatio* cit., p. 399.



oratione beate Agathe legitur: in sexu fragili victoriam martirii contulisti,<sup>60</sup> propter quod Salomon, ad commendacionem talis, totum Proverbiorum 31. capitulum inseruit componendum; ad nostrum propositum talem legimus beatam Katerinam, alteram regis filiam, in virtualiter paciendo, alteram viduam, scilicet sanctam Iudith, in viriliter ag[g]rediendo; hec autem miranda virilis virtus nimirum si menti infuit sanctissime Helizabeth, in qua simul concurrat et generositas regalis, et viduitas exemplaris.

<2.4> Quantum ad quartum, qui est ornatus preciosior venerans {87rb} speciem, sciendum quod iste ornatus potest attendi quoad caritatis excessum, quia *inaurata auro*; quoad virtutum certarum accessum per *purpuram coccinum et margaritas*; et per ceterarum concursum in *lapidibus preciosis*. In auro igitur intelligimus caritatem, unde Ps. 44. (14): *omnis gloria filie regis ab intus in fimbriis aureis*; glosa: *aureis* dicit, non deauratis, quia in fine mundi tota perfectio est ubi caritas invenitur plena. Set per alia quatuor, scilicet *purpura, coccino, margaritis et lapidibus preciosis* intelligere possumus virtutes vel perfectiones caritati annexas, presertim tres, quas apostolus enumerat, secundum quod Augustinus dicit sermone de quatuor virtutibus caritatis, scilicet de tribus competentibus membris Christi. Prima est fides, quia omnia credit, quam attribuit Abrahe. Secunda paciencia, quia omnia tolerat, quam attribuit Noe. Tercia spes, quia omnia superat, quam attribuit patribus antiquis, id est populo Israel.

<2.4.1> Per margaritam autem possumus primo accipere fidem seu adherenciam {87va} credencie, unde Augustinus, sermone 4. de beato Laurencio, de hoc ait circa finem: laudemus igitur fratres et honoremus Laurencium sanctum, qui preciosum fidei margaritum eciam inter flammiferas flammis servavit illesum; et sequitur: thesaurus vero fidei, cui mille opes comparari possunt, in baptismo acquiritur, in passione servatur, post passionem immortaliter possidetur.

<2.4.2> Per purpuram intelligere possumus toleranciam paciencie, unde Prov. 31. (22): *bissus et purpura indumentum eius*; glosa: *bissus* innocencie et *purpura* paciencie hec in sanctis martiribus significanter refulsit, prout ait Augustinus sermone predicto, “inter laurigeros confessores”, et quos ad celum provexit perhempnis gloria triumphorum; sanctus Laurencius variati decoris fulgore coruscat, quem et leviticam candidam et martirialem sortitus est in

---

<sup>60</sup> Collect for the feast of a virgin-martyr (e.g. St. Agatha): “Deus, qui inter cetera potentiae tuae miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti; concede propitius, ut qui beatae N. Virginis et Martyris tuae natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur”.

passione coronam, quosdam igitur sanguis roseus cruentavit alios, flamma tamquam in fornace succendit, in hiis rutilus, in istis purpureus color effulsit.

<2.4.3> Per coccinum spem valemus exponere secundum constanciam {87vb} confidentie; hec autem attendenda in virtute redempcionis nostre, scilicet per sanguinem vel mortem Christi ex summma caritate. Unde Augustinus, sermone 8. pasche, super illo: *ecce tercius est dies ex quo ista facta sunt. Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (Luc. 24, 21). Sperabatis, iam desperabatis? Videtis, quia perdidierunt spem. Cepit igitur eis exponere Scripturas, ut illic magis cognoscerent Christum, ubi deserverant Christum. Ideo enim desperaverant Christum, quia viderant mortuum. Ille vero aperuit illis Scripturas, ut cognoscerent, quia si mortuus non fuisset, Christus redemptor esse non posset.<sup>61</sup> *Iste est funiculus coccineus*, de quo Iob 2. (18) scribitur; glosa: id est sanguinis Christi. Can. 7. (4, 3): *sicut vitta coccinea*; glosa: quia circa ruborem passionis Christi predicacio conversatur, et ex ardore caritatis procedit.

<2.4.4> Per lapides preciosos, quarto, possumus intelligere ceteras virtutes, quibus istud caritatis aurum ornatur. Unde sicut de quadam regina sociata dominabus, possumus per ipsos lapides, quasi aliarum virtutum, designare condescenciam {88ra} coerencie; quod autem per lapides preciosos virtutes intelligamus, quibus caritas ornatur, ait super illo Ecc. 50 (10): *sicut vas auri solidum ornatum omni lapide precioso*; glosa: id est omnium virtutum.

<3> Tercio principaliter in verbis thematis preassumpti notatur declinacio carnalis consorcii et nexus spiritualis coniugii, cum dicitur *vidua*. Pro quo potest exponi illud, Iudith 8. (4-8): *Erat Iudith relicta vidua iam annis tribus et mensibus sex. Et in superioribus domus sue cubiculum secretum sibi fecit, in quo cum puellis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vite sue, preter sabbata et neomenias et festa domus Israel. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divicias multas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, et gregibus ovium plenas. Et hec erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valde, nec erat qui loqueretur de illa malum verbum.*

Ubi possumus considerare, quod in beata Helisabeth sancta vidua {88rb}

<3.1> mora virtutibus testimonium iam reddebat, quia *relicta vidua tribus annis et mensibus sex*;

<3.2> pausa virtutibus refugium observabat, quia *in superioribus domus sue cubiculum secretum sibi fecit*;

---

<sup>61</sup> AUGUSTINE, *Sermones ad populum*, CCXXXVI, 2, PL, vol. 38, col. 1121.

- <3.3> rauba virtutibus cilicium offerebat – *habens super lumbos suos cilicium*;
- <3.4> penitencia virtutibus ieiunium adhibebat – *ieiunabat omnibus diebus* etc.;
- <3.5> natura virtutibus auxilium exhibebat – *erat autem eleganti aspectu*;
- <3.6> fortuna virtutibus obsequium inpendebat – *cui vir suus reliquerat divicias multas*;
- <3.7> fama virtutibus preconium exsolvebat, quia *hec erat in omnibus famosissima* etc.

Premissa enim verba de Iudith adducit Ieronimus, epistola 94., que intitulatur, De viduitate servanda.<sup>62</sup>

<3.1> Unde quantum ad primum, ubi possumus considerare in auctoritate premissa, qualiter in beata Elizabeth mora virtutibus testimonium iam reddebat, quia *relicta erat vidua tribus annis et mensibus sex*. Unde Ieronimus: perfecte virtutis indicium est: renunciare subito experte voluptati, fugere notas carnis illecebras, et calentis adhuc etatis flammam fidei {88va} ardore extinguere.<sup>63</sup> Ex quo patet, quod hec, scilicet Iudith, vidua virtualis et exemplaris, quando de Holoferne triumphare et populum salvare meruit; computata nubili etate iam nedum adolescencie et iuventutis tempora subiecerat, experte temptationis bella subegerat, set perpetue castitatis nota conceperat, et firma[ve]rat, quod effectus [secute] perseverancie comprobavit. Ipsa siquidem viduitas finali perseverancia commendatur. Hinc in sancte Anne prophetisse commendacione, Luc 2. (36), legitur: *et hec vidua erat usque ad annos 84*; unde prima Thim. 5. (9): *vidua*, scilicet sanctorum obsequio deputanda, *eligatur non minus sexaginta annorum* etc.; glosa: in qua etate extinctus est fomes libidinis. Ideo dicitur, quod fructus sexagesimus attribuitur viduis, Mt. 13 (8). De ipsa ideo Anna beatus Augustinus libro de sancta viduitate dicit, super illo Luce (2, 36) *et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser; hec processerat in diebus multis* etc.: vides, quemadmodum sancta vidua non solum eo predicatur, quod univira fuit, verum eciam quod paucos annos vixerit cum viro suo a virginitate, et vidualis continencie munus usque ad tantam senectutem perduxerit.<sup>64</sup> Ideo {88vb} sicut eodem libro dicit: prophetissa Christi esse meruit.<sup>65</sup> Has tales viduas commendat Ieronimus, libro 2. contra Iovinianum, exemplificans ibi de multis, que noluerunt secundo nubere; unde Marcia, Catonis filia, ut ait ibi, cum lugeret virum, et matrone quererent ab ea, quem diem haberet luctus ultimum, respondit: quem et vite.<sup>66</sup> Quibus adducitur in exemplum

---

<sup>62</sup> JEROME, *Epistulae*, 54, 16. Here Jerome talks about Judith as an exemplary widow but does not quote the passage from the Bible.

<sup>63</sup> *Ibid.*, 148, 28.

<sup>64</sup> AUGUSTINE, *De bono viduitatis*, 13, 16, ed. J. Zycha (CSEL, 41).

<sup>65</sup> *Ibid.*, 7, 10.

<sup>66</sup> JEROME, *Adversus Iovinianum*, I, 46.

avis turtur, que postquam masculum suum ammisit, numquam alium recepit, in castitate permanens usque ad finem vite, secundum Ysidorum ethimologiarum<sup>67</sup> et Ambrosium in exameron omelia 5.<sup>68</sup> Unde Augustinus dicto libro de sancta viduitate: placete moribus, instate oracionibus; preteritus dies non revertitur, post hesternum pergunt hodiernus, et post hodiernum perrecturus est crastinus; et ecce omnia tempora et temporalia transeunt, ut veniat mansura promissio, et qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.<sup>69</sup>

<3.2> Quantum ad secundum, ubi possumus considerare, quod pausa virtutibus refugium observabat, cum additur: *in superioribus domus sue fecit cubiculum secretum*, attendendum, quod sic debent talem {89ra} locum semotum et segregatum atque clausum eligere, et non comunitate patere, discurrere vel vagari, exemplo etiam premisse Anne, de qua Luc. 2. (37) scribitur, quod *non discedebat de templo* etc.; glosa: nisi ad horam, set hoc dicit, quod frequens ibi erat. Hoc exemplum datur viduis, ne sint sicut illa, Prov. 7. (10-11), *garrula et vaga, quietis impaciens*. Propter hoc enim tam virgines, quam vidue, quam etiam sanctimoniales clausura morantur; sic et avis turtur, de qua dictum est, et que viduis adducitur in exemplum, secundum dictos Ysidorum et Ambrosium, ubi supra. Avis casta appellatur ex moribus, solitaria incedit loca et eligit, memor societatis solite semper [gemit], hominum consortia valde fugit.<sup>70</sup> Unde apostolus viduas vagas reprehendit, 1. Thi. 5. (13): *simul autem et ociose discunt circuire domos; non solum ociose, set et verbose, et curiose, loquentes que non oportet*. Idcirco Ieronimus dicta epistula 94., adducens verba de Iudith supra scripta, addit: ecce, quod ista clausa manebat, audierat enim, quod uxores David *clausura erant usque ad diem mortis sue in viduitate* {89rb} *viventes*, 2. Reg. 20 (3). Item Ieronimus ad Eustochium: rarus sit egressus in publicum, martires tibi querentur in cubiculo tuo; numquam causa tibi deerit procedendi, si semper, quando necesse est, fueris processura.<sup>71</sup> Idem Ieronimus de tribus viduis appetendis, primum ponit non evagari, set in ecclesia orare, vel in domo propria manere; ad hoc facere potest illud, quod scribitur Gen. 29. (38, 11): *esto vidua in domo patris tui* etc.

---

<sup>67</sup> ISIDORE, *Etymologiae*, XII, 7, 60.

<sup>68</sup> AMBROSE, *Exameron*, V, 19, 62-63.

<sup>69</sup> AUGUSTINE, *De bono viduitatis*, 20, 25.

<sup>70</sup> ISIDORE, *Etymologiae*, XII, 7, 62.

<sup>71</sup> JEROME, *Epistulae*, 22, 17.

<3.3> Quantum ad tertium, possumus considerare, quod rauba virtutibus cilicium offerebat, nam et Iudith erat *habens super lumbos suos cilicium*. Circa quod attendendum, quod vera vidua multum debet curare, quo habitu induatur; tali, scilicet, qui

<3.3.1> carnis stimulum cohibeat, sicut sancta Iudith, de qua ait Ieronimus epistula 94. predicta: ecce Iudith clausa manebat, abstinenciis et cilicio delicatum corpus macerabat. Et nota de hoc cilicio ter mencio fit. Primo, quando propositum professione viduali statuit, Iudith 8., de quo est dictum. Secundo, quando oracione mentali pariter et vocali se disposuit, Iudith 9. Tercio, quando egressione virtuali se exposuit, Iudith 10. {89va} Et bene *super lumbos* iuxta salvatoris documentum, Luc 12. (35): *sint lumbi vestri precincti*; super quo Gregorius in omelia 91.: lumbos enim praecingimus, cum carnis luxuriam per continenciam coartamus;<sup>72</sup> bene igitur vidue, inter cetera, cilicio induuntur, qui est habitus lugencium; unde Gen. 37. (34): Iacob audito Ioseph eius filium a fera devoratum *scissis vestibis indutus est cilicio lugens*; unde Ysa. 51. (18-24), postquam premisit: *in die illa auferet Dominus ornamentum*, ubi enumerat ornatus varios mulierum, concludit: *erit pro zona funiculus, et pro fascia pectorali cilicium*, quod at litteram sic fuit de beata Elisabeth, que beati Francisci sumpsit habitum asperum atque funem.<sup>73</sup>

<3.3.2> Secundo, quo viduitatis lamentum et honestum pateat, non quod vanitatis supercilium promoveat; set de hiis Ieronimus, in epistula ad Principiam, adducens ibi Marcellam in exemplum;<sup>74</sup> et idem ad Eustochium in tercio appendicio castitatis;<sup>75</sup> et idem de viduitate servanda.<sup>76</sup>

<3.4> Quantum ad quartum, ubi possumus {89vb} considerare qualiter in dicta sancta Elisabeth penitencia virtutibus ieiunium adhibebat, cum adiungitur *ieiunabat omnibus diebus* etc. Secundum quod hoc ieiunium viduarum et eis debitum innuit Christus, Mt. 9 (14-15) et Luc. 5. (33-36), quod, cum Christo diceretur a phariseis et scribis, et alibi a <sup>Hiba! A könyvjelző nem létezik.</sup> discipulis Iohannis interrogantibus, qualiter discipuli eius non ieiunarent sicut ipsi, respondit: *numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Veniet autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt*. Ieronimus in premissa epistula, que dicitur de viduitate servanda, ait: imitare potius sanctam matrem tuam, huius ardor in

---

<sup>72</sup> GREGORY THE GREAT, *Homiliarum xl in evangelia libri duo*, I, 13, 1, PL, vol. 76, col. 1123D.

<sup>73</sup> On Elizabeth's having reportedly taken on the habit of the Franciscans, see GECSER, *The Feast and the Pulpit* cit., ch. 1, §. 1.4 and 4.2.

<sup>74</sup> JEROME, *Epistulae*, no. 127.

<sup>75</sup> *Ibid.*, no. 22

<sup>76</sup> *Ibid.*, no. 54.

Christum, pallor ex ieiuniis, elemosina in pauperes etc.<sup>77</sup> Item Ieronimus in epistula 93: quid, inquit, necesse est nos iactare pudicitiam, que sine comitibus et appendiciis suis, scilicet, continencia et parcitate, fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum et adulescentula fervente cibis corpore secunda est de castitate?<sup>78</sup> *Vidua in deliciis vivens mortua est*, prima Thi. 5 (6). Ardentes dyaboli sagitte ieiunorum et vigiliarum {90ra} frigore restringende sunt, unde Augustinus, 3. confessionum, de matre sua ait: illa vidua casta, pia, sobria, quales amas tu Deus.<sup>79</sup> Ad quod ieiunium non solum adducitur Iudith exemplum predictum, set Anne vidue, de qua Luc. 2. (37) scribitur, quod *hec*, scilicet Anna, *vidua erat usque ad annos 84, que non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die*; glosa: nocte orans et die ieiunans.

<3.5> Quantum ad quintum, possumus sicut in sancta Iudith, sic in beata Elisabeth considerare, qualiter natura virtutibus auxilium exhibebat, cum postscribitur: *erat autem eleganti aspectu*. Unde attendendum, quod pulcritudo quandoque est bone naturalis dispositionis signum, ad quod facit illud preallegatum Philosophi, primo politicorum c. 4., ubi dicit, quod: quia anime pulcritudo ignoratur, idcirco pulciores corpore ad regimen assumuntur;<sup>80</sup> ad cuius confirmationem facere posset, quod Saul ideo propter hoc Domino ad regni regimen est assumptus, primo Reg. 9.; quandoque pulcritudo est virtuose {90vb} mentalis et actualis perfectionis instrumentum, sicut in Sanson fortitudo corporalis, sic in ista sancta Iudith pulcritudo; quod bene dixit Salomon, Prov. 31 (25), de muliere forti: *fortitudo et decor indumentum eius*; fortitudinis eius virtuti decoris addidit instrumentum. Set hanc pulcritudinem, qua frequenter plurimi abutuntur, raro Deus eligit in electis et sanctis suis, set quandoque potius feditatem, sicut leguntur de sancto Martino; unde dicit Augustinus, sermone de vanitate huius seculi, in fine: ille unus pulcherrimus, qui fedos diligit ut pulchros faceret, scilicet in resurrectione ultima, de qua ibi loquitur, desideretur, ad illum unum curratur, ingemiscatur etc.<sup>81</sup> Set quando est a Deo provisa, debet virtuose exerceri sicut in Iudith; quando est in ipsis viduis naturaliter indita, debet non curari, set servari, sicut per simile Ieronimus, contra Iovinianum, ait de quadam vidua, quam cum propinquus moneret, ut alteri nuberet, esseque in etatem integram, et faciem bonam, “nequaquam”, inquit, “hoc faciam. Si enim bonum virum {90va} invenero, ut habui ante, nolo nubere timore ne perdam;

---

<sup>77</sup> Ibid., 54, 6.

<sup>78</sup> Ibid., 54, 8.

<sup>79</sup> AUGUSTINE, *Confessionum libri XIII*, III, 11.

<sup>80</sup> *Politica*, I, 5, 1254b-1255a; SUSEMIHL, ed., *Aristotelis Politicorum* cit., p. 21.

<sup>81</sup> PSEUDO-AUGUSTINE, *Sermo de vanitate saeculi* cit., col. 1214.

si malum, quid necesse est post bonum, pessimum sustinere”<sup>82</sup> Set [ars] sophisticateda debet in viduis detestari, unde Ieronimus, epistula 93, alloquens quandam, ait: quid facit in facie christiane purpurissus et cerusa? quorum alterum ruborem genarum et labiorum mentitur, alterum candorem oris et colli: ignis venenum, fomenta libidinum, inpudice mentis indicia etc.<sup>83</sup> et simile Ieronimus, epistula ad Principiam, commendans sanctam Marcellam.<sup>84</sup>

<3.6> Quantum ad sextum, ubi possumus considerare, qualiter in beata Elisabeth fortuna virtutibus obsequium inpendebat, cum subinfertur: *cui vir suus reliquerat divicias multas*, attendendum, quod sancti et perfecti quandoque divicias habuerunt, non in eis finem constituentes, secundum quod avari faciunt et opinionem aliquorum, secundum quos loquendo Philosophus primo ethicorum dicit yconomice vel domestice finem esse divicias,<sup>85</sup> non secundum sententiam dicti Philosophi; nam sunt pocius instrumenta ipsius, secundum quod idem dicit, primo Politice,<sup>86</sup> quod quandoque ipsas habent in quantum sunt instrumenta {90vb} virtutum – sicut et de bonis nature, ut pulcritudine, est iam dictum – et consequenter felicitatis, quam Philosophus intendit, ut patet libro primo ethicorum c. 9. ubi dicit, quod impossibile vel difficile, quod hunc, qui non habet divicias, [operari] quedam opera virtuosa, quorum multa facimus per amicos et per divicias etc.<sup>87</sup> Hoc modo Iudith et beata Elisabeth habuisse potuerunt divicias, et vidue alie ad elemosinas et alia pia opera exercenda. Et quia hic Iudith sanctam viduam adducimus in exemplum, multum conveniunt, sic pulcritudo vel decor et fortitudo, ut dictum est, ita fortitudo et compassio ad pauperes, Prov. 31. (19-20), de muliere forti dicitur utrumque, scilicet, *manum suam misit ad forcias, et palmam suam extendit ad pauperes*. Unde et prima ad Thim. 5. (10) de viduarum misericordie operibus inserit dicens: *si hospicio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulacionem patientibus subministravit*. Unde super illo, Luc. 2. (37), dicto de Anna prophetissa, quod *non discedebat de templo, ieiuniis et obsecracionibus serviens* {91ra} *nocte ac die*; additur in glosa: et probabile est quod elemosinas dabat, scilicet de die, ad hoc facit, quod dicit Ieronimus de viduitate servanda: venio ad viduam pauperulam in evangelio mittentem duo minuta in gazophilacio, cuius devotam oblacionem laudatur Ihesus dicens (Luc. 21, 3): *vere dico vobis, quod vidua hec pauper plus quam omnes misit*. Et sequitur: imitare pocius sanctam matrem

---

<sup>82</sup> JEROME, *Adversus Iovinianum*, I, 46.

<sup>83</sup> JEROME, *Epistulae*, 54, 7.

<sup>84</sup> *Ibid.*, no. 127.

<sup>85</sup> *Ethica Nicomachea*, I, 1, 1094a; GAUTHIER, ed., *Translatio* cit., p. 375.

<sup>86</sup> *Politica*, I, 8, 1256a; SUSEMIHL, ed., *Aristotelis Politicorum* cit., pp. 28-29.

<sup>87</sup> *Ethica Nicomachea*, I, 4, 1099a; GAUTHIER, ed., *Translatio* cit., pp. 386-387.

tuam, cuius ardor in Christum, pallor ex ieiuniis, elemosina in pauperes, obsequium in servos Dei.<sup>88</sup> Multa similia possent inseriri, que causa brevitatis presencialiter dimittuntur.

<3.7> Quantum ad septimum et ultimum, ubi possumus considerare, quod in sancta Elizabeth fama virtutibus preconium exsolvebat, cum concluditur: *et hec erat in omnibus famosissima, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum*. Hoc autem probatur ex eo, quod scribitur post, scilicet Iudith 15. (9-11), quod, post victoriam per ipsam de Holoferne optemptam, *Ioachim summus pontifex de Ierusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Iudith. Que cum exisset ad illum, benedixerunt illam omnes una voce, dicentes {91rb}: “tu gloria Ierusalem, tu leticia Israel, tu honorificencia populi nostri, quia fecisti viriliter”*.

Gloria enim ad famam laudis et preconii pertinet, unde Augustinus super Iohannem, sermone 97, in principio: gloria namque fit quisque clarus, et claritate gloriosus. Sequitur: sicut autem diffinierunt latini antiqui lingue clarissimi oratores, gloria est frequens de aliquo fama cum laude.<sup>89</sup> Idem Ambrosius, idem Augustinus libro de diffinicionibus,<sup>90</sup> item Tullius: gloria est alicuius magnifice vel bone artis late patens preconium et ut perhibent qui de magnis maiora loquuntur; secundam vitam dat gloria. Et quod testimonium bone fame viduis competat, apostolus prima ad Thim. 5. (10), inter cetera, de ipsis ait: *in operibus bonis testimonium habens*. Et Augustinus, libro de sancta viduitate, de Anna vidua prophetissa: vides, quemadmodum sancta vidua non solum eo predicatur, quod univira fuit, verum eciam quod paucos annos vixerit cum viro suo a virginitate, et continencie vidualis munus usque ad tantam senectutem perduxerit.<sup>91</sup> Set quam caute hec fama viduis sit servanda, ait Augustinus libro predicto {91va} de sancta viduitate: sancta earum, scilicet viduarum, conversacio cauta debet esse, ne forte, cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligenciam.<sup>92</sup> Hoc autem bene caverat Iudith, cum supra dictum sit, quod *nec erat qui loqueretur de illa verbum malum*, unde Augustinus eodem libro de sancta viduitate: quisquis a criminibus flagiciorum et facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit; quisquis eciam famam, et eciam aliis misericors est. nobis autem est necessaria vita nostra, aliis fama vestra. et itaque eciam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem.<sup>93</sup>

---

<sup>88</sup> JEROME, *Epistulae*, 54, 17.

<sup>89</sup> AUGUSTINE, *In Iohannis euangelium tractatus*, 100, 1.

<sup>90</sup> AUGUSTINE, *De diuersis quaestionibus octoginta tribus*, 31, 3.

<sup>91</sup> AUGUSTINE, *De bono viduitatis*, 13, 16.

<sup>92</sup> *Ibid.*, 22, 27.

<sup>93</sup> *Ibid.*



Rogemus Deum, ut sic in via habeamus gloriam bone fame, quod post in patria habere mereamur vite gloriam sempiternae.